

PRELIMINARY EXAMINATION FOR PART I OF THE
CLASSICAL TRIPOS

Monday 11 June 2001 9 to 12

Paper 3

LATIN TRANSLATION

*Answer **all** questions.*

Sections A and B carry equal weight.

It is important to write good English.

*Answers from **each** Section **must** be tied up in separate bundles.*

*Write your **number** (not your name) on the cover-sheet of **each** Section.*

**You may not start to read the questions
printed on the subsequent pages of this
question paper until instructed that you
may do so by the Invigilator**

SECTION A

Translate into English:

A1 quintum genus est parricidarum, sicariorum, denique omnium facinerosorum. quos ego a Catilina non reuoco; nam neque ab eo diuelli possunt et pereant sane in latrocinio, quoniam sunt ita multi ut eos carcer capere non possit. postremum autem genus est non solum numero uerum etiam genere ipso atque uita quod proprium Catilinae est, de eius dilectu, immo uero de complexu eius ac sinu; quos pexo capillo, nitidos, aut imberbis aut bene barbatos uidetis, manicatis et talaribus tunicis, uelis amictos, non togis; quorum omnis industria uitae et uigilandi labor in antelucanis cenis expromitur. in his gregibus omnes aleatores, omnes adulteri, omnes impuri impudicique uersantur. hi pueri tam lepidi ac delicati non solum amare et amari neque saltare et cantare sed etiam sicas uibrare et spargere uenena didicerunt.

CICERO *In Catilinam* II 22–23

A2

hic Mars armipotens animum uirisque Latinis
 addidit et stimulos acris sub pectore uertit,
 immisitque Fugam Teucris atrumque Timorem.
 undique conueniunt, quoniam data copia pugnae,
 bellatorque animo deus incidit.
 Pandarus, ut fuso germanum corpore cernit,
 et quo sit fortuna loco, qui casus agat res,
 portam ui magna conuerso cardine torquet
 obnixus latis umeris, multosque suorum
 moenibus exclusos duro in certamine linquit;
 ast alios secum includit recipitque ruentis,
 demens, qui Rutulum in medio non agmine regem
 uiderit inrumpentem ultroque incluserit urbi,
 immanem ueluti pecora inter inertia tigrim.
 continuo noua lux oculis effulsit et arma
 horrendum sonuere, tremunt in uertice cristae
 sanguineae clipeoque micantia fulmina mittit.
 agnoscunt faciem inuisam atque immania membra
 turbati subito Aeneadae. tum Pandarus ingens
 emicat et mortis fraternae feruidus ira
 effatur: “non haec dotalis regia Amatae,
 nec muris cohibet patriis media Ardea Turnum.”

VIRGIL *Aeneid* IX 717–737

A3 nec multo post adfertur Numidas apud castellum semirutum, ab ipsis quondam incensum, cui nomen Auzea, positus mapalibus consedis, fisis loco, quia uastis circum saltibus claudebatur. tum expeditae cohortes alaeque, quam in partem ducerentur ignarae, cito agmine rapiuntur. simulque coeptus dies et concentu tubarum ac truci clamore aderant semisomnos in barbaros, praepeditis Numidarum equis aut diuersos pastus pererrantibus. ab Romanis confertus pedes, dispositae turmae, cuncta proelio prouisa: hostibus contra omnium nesciis non arma, non ordo, non consilium, sed pecorum modo trahi, occidi, capi. infensus miles memoria laborum et aduersum eludentis optatae totiens pugnae se quisque ultione et sanguine explebant. differtur per manipulos, Tacfarinatem omnes, notum tot proeliis, consecuntur: non nisi duce interfecto requiem belli fore. at ille deiectis circum stipatoribus uinctoque iam filio et effusis undique Romanis, ruendo in tela captiuitatem haud inulta morte effugit: isque finis armis impositus.

TACITUS *Annales* IV 25

SECTION B

Translate into English:

B1 *On the disadvantages of coastal cities relative to inland sites*

urbes maritimae non solum multis sunt periculis oppositae, sed etiam caecis. nam terra continens aduentus hostium non modo expectatos, sed etiam repentinos multis indiciis et quasi fragore quodam et sonitu ipso ante denuntiat; neque uero quisquam potest hostis aduolare terra, quin eum non modo esse, sed etiam quis et unde sit, scire possimus. maritimus uero ille et naualis hostis ante adesse potest quam quisquam uenturum esse suspicari queat, nec uero, cum uenit, prae se fert, aut qui sit aut unde ueniat aut etiam quid uelit, denique ne nota quidem ulla, pacatus¹ an hostis sit, discerni ac iudicari potest. est autem maritimis urbibus etiam quaedam corruptela ac demutatio morum; admiscuntur enim nouis sermonibus ac disciplinis et importantur non merces solum aduenticiae², sed etiam mores, ut nihil possit in patriis institutis manere integrum. iam qui incolunt eas urbes, non haerent in suis sedibus.

CICERO *De Republica* II 5–7

¹ pacatus, -a, um: friendly

² aduenticius, -a, um: foreign

[TURN OVER

B2

Ovid's book makes an appeal to potential readers

'missus in hanc uenio timide liber exulis urbem:
 da placidam fesso, lector amice, manum;
 neue reformida, ne sim tibi forte pudori:
 nullus in hac charta uersus amare docet.
 haec domini fortuna mei est, ut debeat illam
 infelix nullis dissimulare iocis.
 id quoque, quod uiridi quondam male lusit in aeuo,
 heu nimium sero damnat et odit opus!
 inspice quid portem: nihil hic nisi triste uidebis,
 carmine temporibus conueniente suis.
 clauda¹ quod alterno subsidunt carmina uersu,
 uel pedis hoc ratio, uel uia longa facit;
 quod neque sum cedro² flauus nec pumice leuis,
 erubui domino cultior esse meo;
 littera suffusas quod habet maculosa lituras³,
 laesit opus lacrimis ipse poeta suum.
 siqua uidebuntur casu non dicta Latine,
 in qua scribebat, barbara terra fuit.'

OVID *Tristia* III 1-18

¹ claudus, -a, um: lame, limping

² cedrus, -i, f.: cedar-oil

³ litura, -ae, f.: blot, smear